Morbio 24 (60) iesus Universitäts- u. Landesbibliothek Halle

In Nomine Domini Anno a nativitate Eiusdem Millesimo quingentesimo sexto Inditione decima die mercurij nono mensis decembris. Cum alias domina Blanchina de Michenis filia quondam domini Silvestri et uxor Thomaxij de Borago faciens ipsa domina in presentia cum parabola consensu et licentia dicti Mariti sui necnon etiam in presentia et ut supra domini Francisci de Michenis eius agnati promisisset sub obligatione sui et omnium bonorum suorum presentium et futurorum pignori Magnifico Militi domino Vercelino Vicecomiti tunc presenti stippulanti et recipienti ita quod ipsa domina debitrix inde ad mensem unum proxime futurum daret et solveret prefato domino Vercelino in pecunia numerata libras ducentum imperiales cum omnibus expensis dampnis et interesse occaxione auri et argenti per dictum dominum creditorem dicte domine dati traditi venditi et consignati cum Iuramento de rato habendo et nullo tempore contrafaciendo etc. prout in eo instrumento continetur rogato per Iohannem Steffanum de Zerbis mediolani notarium anno Millesimo quadringentesimo nonagesimo octavo die decimo septimo augusti seu anno et die in eo contentis. Cumque prefatus dominus Vercelinus et seu eius procurator eius nomine vigore dicti sui crediti apprehendiderint non nulla bona dicte domine Blanchine sita in loco et territorio de Ronzello ut publico constat instrumento inde rogato per dominum ambrosium de La Cruce mediolani notarium anno presenti. Cumque ad instantiam prefati domini Vercelini emanatum fuerit preceptum dicte domine Blanchine quatenus ipsum dominum Vercelinum non turbaret in possessione dictorum bonorum apprehensorum ut supra ac etiam preceptum sint laboratoribus ipsa bona quatenus ipsa bona spaciaret et evachuaret aut se investiret a prefato domino Vercelino vel ab eius procuratore et prout in eo precepto latius continetur. Modo autem prefatus Magnificus dominus Vercelinus Vicecomes Milles filius quondam Magnifici domini Ambrosij porte ticinensis parochie sancti Georgij in pallatio Mediolani omnibus modo iure via et forma quibus melius potuit et potest fecit et facit cessionem et datum titulo et ex causa venditionis Magnifico et Sapiente Iuris utriusque doctore domino Iohanniiacobo de balsamo filio quondam domini Gasparis porte nove parochie sancti petri ad Cornaredum Mediolani ibi presenti stippulanti et recipienti. Nominative de dicto Credito dictarum librarum ducentum imperialium de quibus in dicto instrumento obligationis ut supra narrato fit mentio. Ita quod prefatus dominus Iohannesiacobus possit exigere et consequi dictum Creditum de quo supra. Item de dictis instrumentis et iuribus et fortijs eorumdem. Item de omnibus iuribus pertinentibus et spectantibus ipsi domino Cedenti pro predictis cessis ut supra et item de omnibus actis tanmis processibus preceptis instrumentis scripturis et iuribus in eis contentis et exinde sequtis eorum causa et occaxione. Quodquidem obligationis instrumentum prefatus dominus Cedens ibidem in publicam formam dat prefato domino Cessionario. Item de iure actione et facultate petendi exigendi consequendi recuperandi et habendi eos denarios cessos ut supra contra ipsam dominam cedentem eiusque heredes res bona et iura cum omnibus expensis dampnis et interesse que amodo in antea fierent et paterentur pro ipsa quantitate cessa ut supra. Eo tenore quod decetero suprascriptus dominus Cessionarius cum suis heredibus et successoribus et cui vel quibus dederit seu cederet habeat teneat gaudeat et diffinat dicta iura cessa ut supra et de eis et in eis faciat et facere possit et valeat quicquid facere voluerit et sibi placuerit sine contradictione dicti Cedentis nec alicuius alterius persone. Cedendo dando atque mandando et cessit dedit atque mandavit et cedit dat atque mandat dictus Cedens dicto Cessionario ibi presenti stippulanti et recipienti omnia iura omnesque actiones et rationes usus et deffensiones utiles et directas reales et personales mistasque ac potechariam et omnes exceptiones replicationes et retentiones sibi undeque qualitercumque et quomodocumque competentia pertinentia et spectantia et competentes pertinentes et spectantes et competitura et competituras et adiacentia et adiacentes in de pro et super predictis ut supra cessis et pro eis et eorum occaxione. Et hoc contra et adversus dictam debitricem et ut supra et contra quamlibet aliam personam et quelibet alia bona ad hec obligata premissorum causa et occaxione. Ita ut per omnia et modis omnibus ipse Cessionarius in ipsius Cedentis locum ius et statum sit et succedat et esse et succedere debeat ipse Cessionarius in de pro et super predictis ut supra cessis ita quod decetero possit ipse dominus cessionarius ita agere petere consequi et habere et qualibet actione et ratione uti et se tuheri predictam quantitatem denariorum superius cessam ut supra cum effectu petere exigere consequi et habere utiliter civiliter et directe et modis omnibus quibus et quemadmodum et prout poterat potuisset et posset dictus Cedens ante hanc cessionem et ac si presens cessio facta non esset. Et constituit suprascriptus Cedens suprascriptum Cessionarium presentem stippulantem et recipientem missum et procuratorem in hanc rem suam et ponendo ac eum dominum Cessionarium presentem stippulantem et recipientem posuit et ponit in eius Cedentis locum ius et statum in de et pro predictis ut supra cessis et eorum causa et occaxione. Quare dictus Cedens promissit et vadiam dedit et dat obligando se et omnia sua bona mobilia et immobilia res et iura presentia et futura et ea que non cadunt in obligatione generali et suppelectilia domus pignori dicto Cessionario ibi presenti et stippulanti se semper et omni tempore prestare et quod prestabit verum creditorem et Cedentem eius de quo cessit et cedit ius pro suo. Dato et facto tantum quod datum et factum sit et esse intelligatur et intelligi debeat hoc modo videlicet quod dictus Cedens de eis iuribus cessis ut supra non fecit nec decetero faciet alij nec alijs cessionem confessionem liberationem nec aliquid aliud in preiuditium huius cessionis nec contentorum in ea et ad predicta teneatur et ad aliquid aliud non teneatur nec ad pretij restitutionem nisi in casibus premissis vel aliquo eorum. Quamquidem Cessionem et quodquidem datum et predicta omnia et singula fecit et facit prefatus dominus Cedens prefato domino Cessionario presenti et stippulanti. Pro Pretio et merchato librarum ducentum imperialium. Quasquidem libras ducentum imperiales prefatus dominus Cedens fuit contentus et confessus et confitetur et dixit et protestatur se recepisse et habuisse et quod recepit et habuit ab eo domino Cessionario presente et stippulante ac dante et solvente ibidem. Presentialiter actualiter realiter et vere et in presentia mei notarij notariorumque et testium infrascriptorum ad hec specialiter vocatorum et rogatorum. Et hoc pro completa solutione et integra satisfactione dicti pretij et merchati presentis Cessionis facti et conventi inter eos prout etiam ad mutuam petitionem instantiam et requisitionem et intervenientie solempni stippulatione dicti domini Cedentis et Cessionarij dixerunt et protestati fuerunt et dicunt et protestantur. Renuntiando exceptioni dictus dominus Cedens non facti et non celebrati huiusmodi instrumenti sic et taliter ut supra et non receptorum et non habitorum dictorum denariorum predicta occaxione ut supra et spei future receptionis et habitionis et preditorum et infradictorum omnium et singulorum non ita et taliter actorum et factorum omnique probationi testium productioni et deffensioni in contrarium. Insuper prefatus dominus Cedens iuravit et iurat ad sancta dei Evangelia Manum corporaliter tactis scripturis in Manum mei notarij infrascripti et in presenti cessione se esse verum creditorem eius de quo cedit ius vero de dictis libris ducentum imperialibus et quod de suo cedit ius et non in fraudem alicuius nec iuris alicuius. Et quod in veritate occaxione presentis cessionis recepit ab eo domino Cessionario dictas libras ducentum imperiales. Dictus vero dominus Cessionarius iuravit ut supra quod in veritate nomine et occaxione presentis cessionis dedit et numeravit dicto domino Cedenti dictas libras ducentum imperiales sine spe alicuius rehabitionis per se nec per submissam personam habende. Et in omnibus et per omnia et de verbo ad verbum iuraverunt et iurant prout iurari debet et requiritur secundum formam statutorum communis Mediolani et prout in eis continetur. Et de predictis dictus dominus Cedens et Cessionarius rogaverunt me Petrumpaulum de Pasqualibus notarium infrascriptum ut publicum conficiam instrumentum unum et plura tenoris eiusdem. Actum in Camera congregationis dominorum deputatorum fabrice Ecclesie Maioris Mediolani sitorum in Camposanto Mediolani presentibus pronotarijs domino Petro Vicecomitte filio quondam domini Filippi porte ticinensis parochie sancti petri in Caradella et Guidoneantonio de Montenate filio quondam domini ... porte romane parochie sancti Nazarij in brolio ambobus Civitatis Mediolani notarijs interfuerunt ibi Testes venerabilis dominus presbiter Leo de Corentibus filius quondam domini Iohannis porte ticinensis parochie sancti Vincentij in prato pariter notus dominus Iohannesantonius de Palavicino filius quondam domini Iacobi porte Vercelline parochie sancti Babille pariter et Beltraminus de Canonica filius domini Christofori porte Vercelline parochie sancti Georgij ad puteum album omnes Civitatis Mediolani idonei vocati et rogati.

Ego petruspaulus de pasqualibus filius quondam domini Gregorij Civitatis Mediolani porte nove parochie sancti Bartholomei intus notarius publicus Rogatus tradidi et subscripsi.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1866751115-19/fragment/page=0002